

aliqua, ut prædicatorem argueret mendacii, qui talia docuerat, esse falsa, serio eum vocaverit & ad spectante illo sese inunxerit, sedensq; in furcâ jamq; volens divehi, statim obdormiverit, & quibusdam gestibus hinc inde se moverit, donec de scamno deciderit acceperitq; vulnus in capite. Somnia itaq; tantum Diabolica sunt, & fortiores phantasiæ corruptæ factæ species impressiones. Unde *Philippus L. de animâ*: Quartum genus somniorum est Diabolicum, ut cum veneficæ videntur sibi interesse convivii ac ludis, cum sæpè comperit, eas nusquam abuisse, sed dormientes gestu & clamore somnia convivorum & saltationum significasse.

Tertium.

Dæmones licet cum Magis congregiantur, generare tamen nullo modo possunt.

Henricus Nicolai in tract. de Magicis Actionibus aliq; nonnulli existimant, dæmones verè generare verumq; cū Magis & Veneficis effectū producere. Verum licet nos congressum verum spiritus immundi in corpore assumto cū spurcis hominibus & libidinosis vetulis admittere possimus, Generationem tñ. veram nullo modo concedimus. Abest enim ibi formalis ratio generationis, nempe communicatio formæ. Enimverò quomodo Dæmon in congressu tali abominando communicabit formam, quæ informet corpus, cū tali destituatur ipse. Nam respectu corporis istius assumti sese habet non per modū formæ informantis, sed assistentis. Abest semē, materia generationis, quæ spiritibus deest. Nec auferre id aliunde per petulantiam aut in somno effusum, & in sagarum uterum inferre queunt, ut vitale maneat, cum aeri expositum spiritus suos, fecunditates autores, amittat statim, nec qui transfert semen, generet, sed qui emittit. Absunt alia ad veram generationem spectantia. Partus si editur, ipse instar vermium aut Erucarum est. Nec foetus suppositi agnoscunt Diabolum pro patre suo naturali, sed pro autore, saltem, qui uterum sagarum inflat, ex semine & sanguine materno corpus elaborat, inde foetus quædam lineamenta format, editum in lucem movet ipse & alia præstat. Nulla autem ibi anima rationalis, nullæ operationes. Diabolus forma assistens est, non informans. Sed Deus meliorem det mentem genti humanæ, Satanam increpet conteratq; sub pedibus nostris.